



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 1. Sanctitas ministri est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramentis. Cap. V I. 31

Sacramento Baptismi: Unde concludere licet, illum peccare mortaliter, qui mutat quidquam in materia vel forma Sacramentorum, quoniam à gratia Dei nullus excidit, nisi propter peccatum mortale.

Quæst. 10. Utrum ignorantia excusaret eum à peccato, qui mutaret aut omitteret aliquid in materia vel forma Sacramentorum?

Resp. Cùm secundùm Divum Thomam, Ignorantia voluntaria dicatur ejus quod quis potest scire & debet, eaque non excuset à peccato; cùmque Presbyteri teneantur scire quidquid præscriptum est in materia & forma Sacramentorum; si mutationem aliquam notabilem per ignorantiam facerent (licet ea foret tantum accidentalis) in materia vel forma Sacramentorum, non forent immunes à gravi peccato.

D. Tho. 1. 2.  
q. 6. art. 8.  
in corp.

C A P U T V I.

De Ministro Sacramentorum.

Quæst. I. S A N C T I T A S Ministri, est-ne necessaria ad validitatem Sacramenti?

Resp. Nequaquam: Si inter bonos Ministros, ait Divus Augustinus relatus in Canone, cùm sit alius alio melior, non est melior Baptismus qui per meliorem datur; nullo modo est malus qui etiam per malum datur, quando idem Baptismus datur. Et ideo per Ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est: Id est Jesu-Christi à quo Sacramenta suam habent vim, non verò à Ministro, qui ejus tantùm instrumentum est.

Can. Si inter  
De Consecr.  
dist. 4<sup>a</sup>

Et Concilium Tridentinum ait: Si quis di-

sc. 7. Can.  
114

32 TRACTATUS I.

xerit, *Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, qua ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

D. Tho. 3. p.  
q. 64. art. 5.  
in corp.

Dicendum, inquit Divus Thomas, *Quòd Ministri Ecclesie instrumentaliter operantur in Sacramentis, eò quòd quodammodo eadem ratio est Ministri & instrumenti. Instrumentum autem non agit secundùm propriam formam aut virtutem, sed secundùm virtutem ejus à quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus Medici ( quod est instrumentum animæ habentis artem ) sit sanum vel infirmum; & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea: unde Ministri Ecclesie possunt Sacramenta conferre, etiam si sint mali, sive in peccato mortali.*

*Quæst. 2. Administrare Sacramentum in statu peccati mortalis, est ne peccatum mortale?*

*Resp. Hoc peccatum non videtur posse esse leve, quia is qui eum committit, per malitiam non reveretur ut par est Deum in sacratissimis ejus Mysteriis; & sicut ille qui est inimicus Principis, non est capax aut idoneus, ut favores ejus, gratiasque aliis distribuat, nec id facere potest, sine nova Principis indignatione, temerè se talibus officiis ingerendo; ita qui sibi conscii sunt peccati mortalis, ac proinde inimici Dei, graviter eum offendent, quoties in eo statu audent ministrare Sacramenta; unde in Levitico dicitur: *Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.**

Levit. cap.  
21.